LINNEANA
QK91
C83

D. D.

EXAMEN
CLASSIS MONOECIAE

CUJUS PARTEM PRIMAM
VENIA EXP. FACULT. MED. UPSAL.
PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA
MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB. HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND. HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET. CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR BEROL ET. FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARLEM. AMSTELD. BONNENS. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL. ET LINN. MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

JOH. LIDÉN
VERMELANDUS.

IN AUDIT. BOTANICO DIE IV MAJI MDCCCXXV.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
EXCUDEBANT PALMBLAD ET C.

MISSOURI BOTANICAL
GARDEN LIBRARY

EXAMEN

CLASSIS MONOECIAE

In universo Vegetabili Regno lex illa maxime est communis, qua intra eundem thalamum mares cum feminis cohabitant, et flores formant hermaphroditos. Cum vero nulla sit sine omni exceptione regula, interdum ludere videtur Natura, et variæ quandoque occurrunt mutationes, unde oriuntur diversæ nuptiæ, scilicet monoicæ, dioicæ et polygamæ, quibus demonstrare voluit Sapientissimus et omnipotens Creator, se non unica regula, vel paucis legibus esse circumscriptum; sed formis, millies mutatis, ad eundem obtinendum finem favere, sic ut natura in infinitum variata sensus hominis sapientis blandire possit.

Vegetabilia monoica facile et sine difficultate examinari et determinari possunt, cum in eadem planta, in eadem arbore, vel etiam eodem frutice uterque sexus quæri et inveniri possit, idque vel in diversis ramis, vel in eodem receptaculo sive spicato, sive racemoso, vel in eadem umbella. Secundum numerum staminum herba quæstionis facillime reducitur ad Classem, et secundum numerum pistillorum, ad ordinem. Sic secundum hanc methodum multa gramina intrare possunt Triandriæ Classem, et Sociis suis dispersis conjungi.

Casuarinæ masculi flores in receptaculo interstincti sunt sqamis bifidis, includentibus filamentum solitarium: receptaculum, strobilus dictum, etiam est elongatum et Styli, squamis distincti, sunt solitarii. Locus itaque ejus erit in *Monandria*, *Monogynia*.

Radermachia in multis convenit cum *Casuarina*. Spica mascula flores approximatos separat calyce diphyllo, intra quem filamentum unicum, dum femina, absque calyce et corolla, fructum profert totum constantem germinibus plurimis cum pistillo in singulo, solitario. Pertinet ergo ad *Monandriam*, *Monogyniam*; vel potius, si mavis, ad *polygyniam*.

Cynomorium, cum quo Schreber conjunxit *Balanophoram*, flores spicatos, in receptaculo elongato, masculos cum femineis mixtos, et quoque hermaphroditos producit. Testatur Linné, se vidisse flosculos hermaphroditos monandros reliquis immixtos, sed retulit plantam ad Monoeciam, licet debuisset, secundum suam methodum, referre illam ad Polygamiam. Dum vero in spica adsunt flores hermaphroditi, facillime refertur ad *Monandriam*, *Monogyniam*.

Phyllachne licet flores producat monoicos, calyce tamen triphyllo et corolla monopetala regulariter filamenta separat solitaria a stylis solitariis, atque generis locum adsignat in *Monandria*, *Monogynia*. Murray retulit hocce genus ad Monoeciam, Monandriam; et Schreber ad Dioeciam, Monandriam.

Ægopricon flores habet incompletos absque corolla, masculos tamen in racemo (amento) et femineos sparsos. Perianthium maris includit unicum filamentum et

femi-

feminæ ſtylos tres. *Monandra* itaque erit planta et *Trigyna.*

CERATOCARPUS. In utroque ſexu calyx regularis absque corolla, et filamentum unicum in flore maſculo, locum hujus generis in *Monandria*, *Digynia* ſatis oſtendunt.

CAULINIA, ſimplex planta aquatica, quæ monoica habetur floribus axillaribus ſesſilibus nudis, anthera et ſtylo ſesſili in diverſis foliorum axillis, referri debet ad *Monandriam*, *Monogyniam.*

CHARA. Mirum valde eſt, quod in flore, ſic dicto, maſculo, Anthera ſesſilis ſit extra calycem floris feminei, et hæc quidem anthera non dehiſcens: et quod etiam calyx in flore femineo deficiat interdum. Floreſcentia hujus plantæ aquaticæ adhuc melius obſervari meretur. Interim ad *Monandriam*, *Pentagyniam* referenda erit.

ZANNICHELLIA. Singulare eſt phenomenon, quod duplex disſimilis floſculus maſculus occurrat, alter nudus absque calyce et corolla, alter incompletus cum calyce integro, dum in flore femineo calyx ſit tridentatus. Cum vero filamentum ſit ſolitarium, optime collocatur genus in *Monandria*, *Tetragynia.*

NAJAS, ut aliæ plantæ aquaticæ, floribus inſtruitur incompletis; femineus flos ſtylum habet nudum ſine calyce et corolla; maſculus, antheram ſesſilem intra calycem et corollam. LINNÉ in Dioecia, Monandria, WILDENOW in Monoecia, Tetrandria, quod incertitudinem Dicliniæ commonſtrat, genus hoc collocavit, quod rectius collocatum erit in *Monandria*, *Monogynia.*

LEM-

Lemna, ſimpicisſima fosſarum planta aquatica natans, calyce monophyllo inſtruitur atque corolla, cum filamentis interdum ſparſis et ſtylo abortiente. Wolff Lemnas polygamas declarat, et ex obſervationibus Ehrhartii et Hedwigii flores occurrunt hermaphroditi, ſic ut omni jure pertineat ad *Monandriam*, *Monogyniam*.

Podostemon, planta aquatica, floribus incompletis absque et calyce et corolla, axillaribus et ſolitariis maſculis ad baſin femineorum inſertis, ad Monoeciam fuit relata. Cum vero filamenta deſcribantur duo, et ſtyli duo ſesſiles, releganda erit ad *Diandriam*, *Digyniam*.

Elaterium in alterutro flore filamentum unicum, in altero ſtylum ſolitarium gerit. Locus hujus generis, ſecundum artificiale Syſtema, itaque erit in *Monandria*, *Monogynia*. Frutiſicationis reliquæ partes et Anthera linearis, quinquies plicata, affinitatem ſatis cum Cucumerinis prodere videtur, ſic ut optandum ſoret, ut cum illis in *Triandria* conjungi posſet.

Anguriæ Genus Murray relatum voluit ad Monoeciam, Gynandriam: Schreber ad Monoeciam, Monadelphiam. Flos eſt valde regularis cum calyce monophyllo, et corolla pentapetala, ut in aliis Cucumerinis. Ab illis ſeparata fuit, cum in floribus femineis filamenta absque Antheris ſint caſtrata. Filamenta tantum duo dicuntur, et Antheræ ſurſum deorſumque repentes. Si genus hoc vere ſit diſtinctum, a ceteris ſui Ordinis naturalis ſeparari non debet, ſed Clasſem *Triandriæ* ingredi.

Cucumerinæ plantæ in eo, in univerſum, conveniunt, quod Perianthium ſit monophyllum, Corolla pentapetala, Filamenta tria et Stylus unicus. Paucæ ſunt, quæ aberrant.

errant. Relatæ fuerunt ad Monoeciam ideo, quod in floribus femineis interdum filamenta ſint caſtrata. In plurimis Antheræ ſtriatæ videntur indicare Sygeneſiam. Quare varie a variis Auctoribus ad Claſſes ablegatæ ſunt. In *Melone* et aliis ſpeciebus GLEICHEN atque Alii obſervarunt flores perſecte hermaphroditos. Inter *Bryoniæ* ſpecies occurrit quædam dioica. In *Sifyoide* filamenta ſunt coalita monadelpha cum Antheris diſcretis, ſic ut infinite variet et ludat hæc ſingularis ſane familia, ſpecioſa fructibus grandibus, et caulibus in terra proſtratis, cujus omnia genera jure debito debent referri ad *Triandriam*, *Monogyniam*, ut

CUCUMIS, CUCURBITA, MOMORDICA, SISYOS, TRICHOSANTHES et BRYONIA.

SECHIUM. Flores ejus Monoici conveniunt calyce, corolla et nectario. In flore maſculo filamenta quinque connata ſunt. Antheræ, apice linea bis deorſum, ſemelque ſurſum, repente pollinifera. Stylus in flore femineo unicus. Retulit genus ad Monoeciam, Syngeneſiam SCHREBER; ad Monoeciam, Monadelphiam WILDENOW; cum vero præter numerum ſtaminum, qui in hoc Ordine naturali variare ſolet, cum Cucumerinis conveniat, debet potius *Triandriæ*, *Monogyniæ* inſeri.

TRAGIÆ flos etiam absque corolla incompletus eſt. Maſculo flori calyx tripartitus eſt cum filamentis tribus, femineo quinquephyllus cum ſtylo unico. Ad *Triandriam* ergo, et *Monogyniam* amandanda erit.

ACHARIA flores completos habet, licet diſtinctos in diverſis ſedibus, calyce diphyllo, et corolla trifida; maſculos filamentis tribus inſtructos et femineos ſtylo ſimplici. In *Triandria*, *Monogynia* plantæ huic capenſi locum adſignavit Floræ capenſis Auctor.

HER-

Hernandia umbellata eſt, in qua flores maſculi laterales ſunt, et femineus intermedius. Filamenta numerantur tria et Stylus unicus, deſignantia locum generis in *Triandria*, *Monogynia*.

Sparganium in Receptaculo rotundo flores colligit incompletos absque corolla, intra calycem triphyllum. Maris filamenta tria, ſtylus unicus referunt Genus ad *Triandriam*, *Monogyniam*.

Axyris. Flores maſculi (amentacei) triandri, feminei ſparſi, digyni intra perianthium maris tripartitum, et feminæ pentaphyllum. *Triandria*, *Digynia* genus excipiet.

Comptoniæ amentum absque corollis ſquamoſum. Maris perianthium diphyllum includit filamenta tria: feminæ hexaphyllum, ſtylum duplicem, ſic ut aptior illi locus adſignetur in *Triandria*, *Digynia*.

Typha, graminis Genus valde ſingulare floribus ſuis numero millenis, inſidentibus ſuperiorem apicem culmi, inſtar receptaculi communis, ſpicatis: maſculis ſuperioribus interſtitio exiguo a femineis inferioribus remotis. Marium filamenta includuntur calyce triphyllo absque corolla. Stylus ſimplex. Refertur ad *Triandriam*, *Mcnogyniam*.

Zea in ſupremo culmo gerit ſpicas marium cum calyce et corolla biglumibus, filamenta tria includentibus. Femina inferius in medio fere culmo erumpens, intra corollam quadrivalvem Stylum unicum fovet. Ad *Triandriam*, *Monogyniam* referri debet, licet relata fuerit ad Monoeciam, triandriam ideo, quod e quatuor corol-

læ

læ femineæ valvulis, duæ flosculum sterilem efficere videantur.

Coix, Flores masculi spicati gemini sunt cum intermedio minori pedicellato; feminei ad basin spicæ. Maris flos exterior filamenta profert tria antherifera: interior, filamenta tenuissima, castrata. Feminei floris involucrum continet pedunculum floris masculi, et florem simul femineum, atque rudimenta duo alia flosculorum. Stylus unicus est. Accedere debet ad socia gramina in *Triandria, Monogynia.*

Olyra flores masculos infra femineos gerit, et femineos terminales in eadem panicula. Filamenta tria et stylus unicus. Genus in *Triandria*, *Monogynia* inferendum svadent.

Tripsacum. Flores masculi, gemini, unilaterales, spicati, superiores; feminei inferiores in eadem spica inveniuntur. Maris flosculi exterioris, filamenta tria antherifera; interioris subconnata, castrata. Stylus feminæ unicus. Proxime accedit ad Olyram in *Triandria*, *Monogynia.*

Carex plerumque floret in spicis masculis et femineis distinctis in eadem planta; in non nullis tamen speciebus flores inveniuntur masculi atque feminei intra eandem spicam, et nonnullæ species sunt dioicæ. Stamina tria, rarius duo, et stylus simplex Genus Caricis polymorphum et amplum aliis graminibus associant in *Triandria*, *Monogynia.*

Scleria, Caricibus proximum genus, flores masculos profert in eadem spicula vel panicula cum femineis mixtos, et præterea spiculas femineas, solitarias, axillares. Intra flores masculos filamenta tria, et intra femineos Sty-

Stylus unicus. In *Triandria*, *Monogynia* fructu imprimis a Carice differt.

ZEUGITIS. Calyx communis biglumis, exteriori valvula majori invenitur; intra hunc flores duo musculi cum femineo; filamenta tria. Flos femineus intra glumam calycinam majorem, sessilis est cum stylo bifido. In *Triandria*, *Monogynia* cum graminibus cohabitare et debet et potest.

KOBBRESIÆ flores incompleti, absque corolla, intra squamas Amenti masculini profert Stamina tria, et intra squamas floris feminei Stylos tres. Locus insertionis ergo erit in *Triandria*, *Trigynia*.

PHYLLANTHI flores incompleti absque corolla, cum calyce deprehenduntur. Maris filamenta tria, basi approximata (annon connata monadelpha?) et styli tres, Genus referunt ad *Monadelphiam*, *Trigyniam*.

CICCA adeo affinis est et consimilis *Phyllanthis*, ut cum illis conjungi et debeat et possit, licet numerus partium in hac, æque ac in Phyllanthis variet. In hac enim numerus quadrinarius, in Phyllanthis trinarius sæpius est. Si conservari deberet hocce genus, referretur ad Tetrandriam, tetragyniam, cujus tamen Auctores esse non volumus; veresimile enim est, quod *Cicca* sit Phyllanthi species tetrandra.

LITTORELLA primo intuitu videtur esse Plantaginis species uniflora, uti antea diu considerata fuit, donec BERGIUS, forsan immerito, illam a Congenere separavit. Flos omnino est Plantaginis, licet fructus (an vere?) dicatur alienus. Cum vero, si retineri debeat separatum genus, partes maris numerum quadrinarium servent, debet juxta Plantaginem in *Tetrandria*, et *Monogynia* collocari.

SER-

Serpicula gerit flores ſolitarios cum perianthio quadrifido, et corolla tetrapetala, quæ includunt ſeorſim marinm filamenta quatuor, et feminarum ſtylum, ſic ut inter *Tetrandras*, *Monogynas* numerari queat.

Aucuba, arbor monoica, flores habet completos, ſcilicet calyce monophyllo, et corolla tetrapetala. Mas oſtendit filamenta quatuor, femina ſtylum ſimplicem, ut in *Tetrandria*, *Monogynia* perbene collocari posſit.

Diotis. Flores incompleti absque ulla corolla ſunt. Maſculi flores diſtingvuntur perianthio tetraphyllo et filamentis quatuor: feminei, perianthio monophyllo et ſtylo unico. Facile in *Tetrandria*, *Monogynia* quærenda erit.

Urtica dioica interdum eſt, ſæpius tamen monoica obſervatur. Maſculus flos intra perianthium tetraphyllum includitur absque corolla cum ſtaminibus quatuor; femineus intra perianthium diphyllum ſine corolla cum ſtigmate ſesſili. Referri itaque poteſt ad *Tetrandriam*, *Monogyniam*.

Procris flores gerit ſesſiles, axillares, monoicos, incompletos intra calycem quadriphyllum, maſculos tetrandros, et fimineos, in eadem planta. In *Tetrandria* ſine dubio erit collocanda, juxta *Urticam*, cum qua, uti et cum *Boehmeria* convenire videtur.

Boehmeria, uti et *Parietaria* et *Procris* cum Urtica valde ſimilia et affinia genera ſunt. Boehmeriæ flores maſculi et feminei vel mixti ſunt vel diſtincti in eadem planta. Marium perianthium eſt monophyllum absque corolla, cum filamentis vel nullis vel quatuor et piſtilli rudimento; feminis nec calyx, nec corolla ſunt, ſed

tantum ſqamæ cum ſtylo unico. Genus eſt, quasi medium inter Urticam et Parietariam, in *Tetrandia, Monogynia* inſerendum.

Morus ad Monoeciam fuit relata, licet dentur flores et maſculi et feminei diſtincti in diſtincto individuo, ut dioica. Perianthium maris quadripartitum includit filamenta quatuor; feminæ perianthium tetraphyllum includit ſtylum duplicem; ſic ut genus locum ſuum debitum in *Tetrandria*, *Digynia* inveniet.

Betulæ floreſcentia conſiſtit in ſpica ſquamoſa absque corolla. Flores maſculi ſunt tetrandri intra calycem tetraphyllum, et feminei trigyni. Inſeritur *Tetrandriæ*, *Trigyniæ*.

Alnus cum *Betula* idem genus conſtituere debet, uti antea cum Betula rite fuit conjuncta. Nulla enim alia intercedit differentia, quam quod in Betula ſquamæ ſint trifurcatæ et ſemina duplici ala laterali ornata, et quod in Alno ſquamæ ſint ſubrotundæ ac ſemina aptera. Nota exigua eſt pro genere naturali dilacerando.

Buxus flores maſculos et femineos intra eandem gemmam habet. Maris perianthium eſt triphyllum cum petalis duobus et filamentis quatuor; feminæ quadriphyllum cum petalis tribus, et Stylis tribus, ſic ut genus facile locum ſuum invenire posſit in *Tetrandria*, *Trigynia*.

Triceræ floreſcentia umbellata cum floribus maſculis paniculatis, et femineo in medio ſesſili. Maribus perianthium absque corolla eſt monophyllum cum filamentis quatuor; et feminæ perianthium eſt quinquephyllum cum Stylis tribus. Nihil igitur poteſt esſe facilius, quam hocce genus in *Tetrandria*, *Trigynia* quærere et invenire.

Argy-

D. D.

EXAMEN

CLASSIS MONOECIAE

CUJUS PARTEM SECUNDAM

VENIA EXP. FACULT. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA
MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB. HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND. HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET. CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR BEROL ET. FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARLEM. AMSTELD. BONNENS. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS. TURICENS. IENENS. LINN. LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG. WETTER. NANCIENS. MARBURG. MED. PARIS. EMUL. ET LINN. MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

JACOBUS BÅGENHOLM

VERMELANDUS.

IN AUDIT. BOTANICO DIE IV MAJI MDCCCXXV.

H. P. M. S.

UPSALIÆ

EXCUDEBANT PALMBLAD ET C.

Älskade Föräldrar

af

en tacksam Son.

Argythamniæ racemus eſt utrique ſexui communis. Maſculi floris perianthium tetraphyllum includit filamenta quatuor cum ſtyli rudimento, et ſeminæ perianthium quinquephyllum includit ſtylos tres. *Tetrandriam Trigyniam* genus facillime agnoſcet.

Pachysandra facile videtur collocari poſſe in *Tetrandria, Trigynia*, cum flores absque corolla maſculi ſeparati a femineis includantur calyce tetraphyllo, tetrandro, et ſtylis tribus.

Centella æque ac Solandra Linnæi revera *Hydrocotyles* ſpecies ſunt. Utraque valde variat floribus etiam polygamis.

Xanthium. Perianthium commune ployphyllum, corolla tubuloſa in flore maſculo cum filamentis quinque diſtinctis, et in flore femineo cum perianthio diphyllo, et ſtylis duobus paribus deſcribitur; collocari poteſt in *Pentandria, Monogynia.*

Parthenium habet regulariter perianthium quinquephyllum, et corollam monopetalam cum filamentis quinque, et ſtylo unico. Flores feminei a tergo duos obtinet hermaphoditos, ſed ſeminæ abortiunt. Debuisſet genus hocce, jam ad monoeciam, pentandriam relatum, potius ſuisſe relatum ad Polygamiam. Corollulæ hermaphroditæ plures videntur in diſco, femineæ quinque in radio. Videtur esſe Syngeneſia antheris discretis; ſed forſan (an vere) inſeratur *Pentandriæ, Monogyniæ.*

Ambrosiæ flores feminei infra maſculos in eadem planta ſunt collocati. Maris perianthium et corolla monophylla includit filamenta quinque; feminæ corolla eſt nulla, ſed ſtylus ſimplex. Relata erit ad *Pentandriam, Monogyniam*, forſan Syngeneſiſta antheris liberis.

Iva flores maſculos ſeparatos a femineis habet, ſcilicet mares in diſco, feminas in radio. Corolla maris monopetala, feminæ nulla. Filamenta quinque, ſtyli

 duo.

duo. Videtur esse Syngenesista antheris discretis. In *Pentandria*, *Digynia* facile locari potest, simul cum *Xanthio*, *Parthenio*, *Ambrosia*.

Amaranthus flores servat masculos et femineos in eodem racemo, intra perianthium quinquephyllum absque corolla. Filamenta variant a tribus sæpius ad quinque. Styli tres sunt sic ut in *Pentrandria*, *Trigynia* locum invenire possit.

Clibadium instruitur calyce communi imbricato, et floribus compositis, uti in Syngenesistis. Flores disci hermaphroditi, pedicellati; feminei radii sessiles. In floribus hermaphroditis filamenta quinque et stylus solitarius. Ad *Pentandriam*, *Monogyniam* releganda. *Parthenium*, *Iva*, *Clibadium*, *Xanthium*, *Ambrosia*, forsan omnes Syngenesiæ tribuendæ.

Crotonopsis floribus suis monoicis pentandris, et monogynis collocari potest in *Pentandria*, *Monogynia*, uti et

Polychroa floribus incompletis, atque.

Franseria cum stylis quatuor in *Pentandria*, *Tetragynia*.

Nephelium flores producit masculos et femineos separatos in eodem racemo, cum calyce monophyllo, absque corolla. Stamina sunt quinque et styli duo, adeoque genus erit *Pentandrum*, *Digynum*.

Andrachnes flores habentur monoici in eadem planta; maris intra calycem pentapyllum et corollam monopetalam fovent filamenta quinque, styli cujusvis rudimento inserta. Præterea adest flos nudus absque calyce, corolla et staminibus cum stylis tribus. Pertinet ad *Pentandriam*, *trigyniam*, genus hoc *Clutiæ* affine.

Schisandra in flore masculo antheris suis sessilibus, apice cohærentibus ad Syngenesistas accedere videtur; cumque pistillis numerosis a Wildenowio ad *Monoeciam*,

Penta-

Pentandriam relata fuerit, forſan in *Pentandria*, *Polygynia* melius collocanda.

Luffa, vere planta Cucumerina ſtaminibus quinque cum Cucumerinis in eadem Claſſe conjungi debet, cum numerus ſtaminum et piſtilli varie et multum in hoc ordine variare ſoleat.

Leea eadem eſt planta cum Aquilicia.

Empetrum deſcribitur monoicum calyce quadrifido, corolla nulla, filamentis quatuor et capſula unica, cum ſtigmate ſeſſili, licet revera videatur *Diosma* partibus plurimis vel paucioribus, vel deficientibus. Profert tamen interdum capſulas duas ex eodem calyce, et *Diosmæ* nonnullæ pauciores, quam quinque capſulas interdum maturant. Si genus, ut diſtinctum, retinendum erit, referri tamen debet ad *Pentandriam*, *Monogyniam*, Diosmis vicinum. Diosmæ Linnæi polymorphum genus, ſexu, nectariorum figura, capſularum numero antea ſvaſit diviſionem in *Diosmata* et *Hartogias;* ſed utraque demum obſervationes retulerunt in unum; aliæ enim ſpecies floribus monoicis, aliæ hermaphroditis; aliæ ſtaminibus decem, quorum quinque ſterilia; aliæ aliter a congeneribus differunt.

Pometiæ mares a feminis ſeparati ſede cohabitant in eodem racemo. Utriusque ſexus perianthium eſt polyphyllum, et corolla hexapetala. Filamenta in maſculo, ſic dicto, flore ſunt ſex cum piſtilli rudimento, et ſtylus in femineo dicto flore unicus cum rudimentis ſtaminum. Relatum fuit genus ob partes quasdam abortientes in omnibus floribus hermaphroditis, tam a Schrebero, quam Wildenowio ad *Monoeciam*, *Hexandriam*, licet omnium facillime in *Hexandria*, *Monogynia*, quæri debuiſſet.

Epibaterium. Flores maſculi et feminei in eadem planta inſtructi perianthio et corolla, ſtaminibus ſex et ſtylis tribus. Sed in maſculo flore obſervatur rudimen-

tum

tum pistili, et in femineis interdum rudimentum staminum. Ergo facile reduci potest ad *Hexandriam*, *Trigyniam*.

Pharus habet flores masculos pedunculatos, femineos sessiles in eadem panicula. Filamenta sex, et stylus simplex Gramen hoc ad *Hexandriam*, *Monogyniam* referri jubent.

Zizania et *Pharus* forsan sola sunt genera, in amplissima familia graminum, quæ constanter staminibus sex a Triandris ceteris sese distingvunt. In Zizania prodit et flos masculus staminibus sex fertilibus; et flos femineus hermaphroditus antheris tamen sterilibus, digynus. Monoicum hocce genus facile refertur ad *Hexandriam*, *Digyniam*.

Gvettardæ flores completi, masculi et feminei dicti obveniunt in eadem arbore. Marium stamina sunt sex, usque novem cum stylo filiformi, sic ut flos vere sit hermaphroditus. Stylus floris feminei dicitur filiformis, staminibus longior, sic ut flos femineus etiam videatur hermaphroditus. Relatum fuit hocce genus a Linnæo et Schrebero ad *Monoeciam*, *Hexandriam*, licet forsan melius referri possit vel ad *Heptandriam*, vel si ita placucrit ad *Octandriam*.

Corylus habet flores femineos sine corolla remotos a masculis in eodem frutice. Maris in amento squamoso filamenta sunt octo. Feminæ involucrum est diphyllum cum stylis duobus. *Carpino* summa jungitur affinitate et locum suum habet in *Octandria*, *Digynia*.

Myriophyllum cum perianthio tetraphyllo producit flores femineos infra masculos. Filamenta sunt Octo, stylus nullus, verum stigmata quatuor, sic ut ad *Octandriam*, *Tetragyniam* reduci queat.

Heritiera flores masculos in eadem profert panicula cum femineis. Perianthium adest in utroque flore absque

absque corolla. Stamen maris dicitur columnare, cinctum infra apicem antheris quinque, usque decem, connatis in cylindrum. In flore femineo germina sunt quinque cum totidem stylis, et præter hos antheræ absque filamentis decem, receptaculo ad basin germinum insertæ, duæ inter singula germina steriles. Flos itaque non dici potest gynandrus. Referatur ad *Decandriam*, *Pentagyniam*.

CERATOPHYLLUM flores masculinos et femineos in eadem aperit planta, intra perianthium sine ulla corolla. Filamenta sunt sedecim usque viginti; stylus nullus, sed stigma simplex. Pertinet ad *Dodecandriam*, *Monogyniam*.

THELIGONUM monoicum quidem est cum calyce sine corolla. Maris filamenta sunt duodecim et ultra, et feminæ stylus unicus, quare referendum ad *Dodecandriam*, *Monogyniam*.

MABEA monoica, bene distingvenda a *Maba* dioica, ornatur perianthio monophyllo, sine corolla. Cumque filamenta varient a novem usque ad duodecim, et stylus sit unicus, referri potest ad *Dodecandriam*, *Monogyniam*.

CARPINUS in eadem planta marem et feminam associatos habet. Maris filamenta decem et ultra. Feminæ perianthium tridentatum cum stylo solitario. Locus indicatur in *Dodecandria*, *Monogynia*.

OSTRYA vix genere differt a *carpino*.

FAGUS ostendit marem et feminam ejusdem plantæ cohabitantes, diversis locis, intra perianthium sine corolla. Filamenta floris masculi sunt variantia, a quinque ad viginti. Feminæ stylus simplex. Aptissimus locus erit in *Dodecandria*, *Monogynia*.

CASTANEA in paucis deffert a *Fago*. Differunt calyce et corolla. Stamina in utroque variant. Juxta *Fagum* in systemate collocata erit. Filamenta sunt decem usque viginti et styli tres.

Juglans floret amento ſquamoſo ſine corolla. Maris perianthium ſexpartitum continet filamenta octodecim usque viginti quatuor. Feminæ perianthium eſt tantum quadrifidum cum corolla et ſtylo. *Dodecandria*, *Monogynia* excipiet genus.

Quercus monoica eſt arbor, corolla deſtituta. Maris calyx monophyllus comprehendit filamenta quinque usque decem, et feminæ perianthium ſexfidum, ſtylum unicum. Referatur ergo ad *Dodecandriam*. *Monogyniam*.

Sagittariæ flores feminei, ſecundum ſuetum Naturæ ordimem, infra maſculos collocati ſunt, intra perianthium triphyllum et corollam tripetalam, cum filamentis viginti quatuor et ſtylis numeroſis, ſic ut optime referatur ad *Polyandriam*, *Polygyniam*.

Platanus floret in eadem arbore floribus maſculis et femineis ſeparatis. Maris absque corolla, filamenta plurima, in quibus a parte inferiori antheræ ſunt circumnatæ. Styli plures. Collocari debet in *Polyandria*, *Polygynia*.

Begonia monoica habetur planta hæc ſingularis, cum corolla colorata, ſine calyce. Maris petala quatuor et filamenta decem usque quinquaginta. Feminæ petala quinque vel ſex cum ſtylis tribus. Accedit ad *Polyandriam*, *Trigyniam*.

Poterium flores ſpicatos habet; in eadem ſpica feminæ ſupra proveniunt, mares inferiores. Maris perianthium tetraphyllum, et corolla quadripartita includit filamenta triginta et ultra; feminæ perianthium ſimile et corolla quinquepartita includit ſtylos duos. In *Poterio ſanquiſorba* piſtilla duo debilia flori maſculo inſerta ſunt, ſic ut florem forment hermaphoditum, et genus in *Polyandria*, *Digynia* collocandum esſe commonſtrent.

Liquidambar flores habet ſpicatos, Femina ad baſin ſpicæ maſculæ videtur cum involucro absque corolla.

Fila-

Filamenta ſunt numeroſa et ſtyli duo, quare in *Polyandria*, *Diandria* genus erit inſerendum.

Hedyosmum in eadem arbore marem et feminam profert. Maris receptaculum tectum eſt antheris plurimis ſine filamentis, et femina unicum producit ſtylum. Pertinet ad *Polyandriam*, *Monogyniam*.

Acidoton. Flos femineus in eadem vel diverſa arbore cum maſculo provenit, ſic ut et monoica et ſimul dioica ſit. Flores incompleti ſine corolla. Eſt igitur arbor *Polyandra*, *Monogyna* cum maris filamentis triginta quinque - quadraginta et ſtylo unico.

Thoæ flores ſpicati ſunt, maſculi ſuperiores, feminei ad baſin ſpicæ nudi absque et calyce et corolla. Filamenta numeroſa ſunt, et ſtylus unicus. Eſt ergo *Polyandra Monogyna*.

Parianæ flores maſculi ſunt verticillati verticillis ſpicatis. Femineus flos ſolitarius in ſingulo verticillo, axi ſpicæ affixus. Adeſt calyx biglumis et corolla bivalvis. Filamenta ſunt quadraginta et ſtylus ſolitarius. Gramen hocce eſt *Polyandrum*, *Polygynum*.

Zostera. Hujus uti et aliarum plantarum aquaticarum fructificatio peculiaris valde eſt. Intra folium occultatur receptaculum (ſpadix) lineare, altero ſupremo ſtaminibus, inferne piſtillis inſtructum. Relata fuit ad *Hexandriam*, et ad *Monoeciam*, *Monogyniam*. Vero ſimilius, cum filamenta ſint plurima, et ſtylus ſolitarius, locus ejus erit inter *Polyandras*, *Mongynas*.

Ambrosinia ſpatham habet monophyllam cucullatam, in duo loculamenta ſuperne communicantia diviſa. In ſuperiori parte diſſepimenti antheræ ſeſſiles plurimæ diſtincto ordine digeſtæ ſunt in floribus maſculis. Germen et ſtylus in loculo anteriori partis inferioris diſſepimenti, in floribus femineis. Eſt igitur planta *Monoica Polyandra*, et referri debet ad *Polyandriam*, *Monogyniam*.

Aci-

Arum et Calla minime dici posſunt monoica, dum flores receptaculo communi inſedentes intra ſpatham communem includuntur, maſculi femineique. Linné hæc genera retulit primum ad *Gynandriam*, *Polyandriam* cum receptaculum commune pro Piſtilli filamento habuerint, Schreber deinde retulit ad *Monoeciam*, *Monandriam*, cum Antheræ ſuperiorem, feminæ inferiorem receptaculi partem occupant. Wildenow ad *Monoeciam*, *Polyandriam* relatum genus voluit, licet nullum ſit interſtitium inter mares et feminas in *Aro*. Rectius tamen locum ſuum habebit in *Polyandria*, *Polygynia*.

Calla proxime accedit ad *arum*, floribus nudis, maſculis et femineis mixtis intra ſpatham communem, inſidentes receptaculo oblongo vel elongato, ſpadix dicto. Juxta *Arum* collocata erit in *Polyandria*, *Polygynia*. *Calla* æthiopica videtur plus convenire cum *Ari* genere, quam cum *Callis*.

Houtynia quaſi intermedium genus inter *Arum* et *Callam* conſtituit. Sexus in receptaculo oblongo mixti ſunt et nudi. Spatha tetraphylla genus diſtinctum reddit, ceterum *Callæ* proximum, juxta quam collocatum erit in *Polyandria*, *Polygynia*.

Salisburia videtur inter Piperitas proxime accedere ad *arum* antheris multis imbricatis in amento nudo, ſine corolla et calyce. Idem etiam valere videtur de,

Caladio, cujus antheræ multiloculares in ſpiram ad apicem (ſpadicis) receptaculi diſpoſitæ ſunt, dum in baſi germina absque ſtylis inſerta inveniuntur.

Gar-

Garciæ adeo brevis et obſcurus eſt character in Speciebus Wildenowii, ut nihil omnino certi posſit determinari.

Pinus flores gerit ſpicatos, mares et feminas in eadem arbore, ſed diverſis ramis, ſine corolla. Intra ſquamas filamenta plurima connata. Stylus unicus. Referri poteſt ad *Monadelphiam*, *Monogyniam*.

Cupressus corollam neque ullam habet, ſed in ſpica ſquamæ (calycinæ dictæ) inferne adnaſcuntur quatuor antheræ absque filamentis. Si ergo ſquama conſideratur, ut filamenta connata, *Monadelphus* erit flos maſculus. Cumque in femineo flore (ſtrobilus dicto) germina absque ſtylis ſint numeroſa, flos erit *Polygynus*.

Thuja valde affinis eſt *Cupreſſo* floribus nudis, quorum mares dicuntur absque filamentis habere antheras quatuor cum baſi ſquamæ calycinæ connatas. Et dum ſtylus feminæ ſit ſimplex, *Thuja* pertinebit ad *Monadelphiam*, *Monogyniam*.

Plukenetiæ mas ſine calyce corollam habet tetrapetalam cum filamentis octo coalitis; et femina calycem tetraphyllum, petala quatuor, et ſtylum unicum. Facile itaque referri poteſt ad *Monadelphiam*, *Monogyniam*.

Dalechampia duplex explicat involucrum, alterum commune et alterum partiale, in mare diphyllum, in femina triphyllum. Præterea mas habet perianthium quinquephyllum et femina polyphyllum, uterque ſine corolla. Filamenta plurima connata et ſtylus ſimplex. Genus referunt ad *Monadelphiam*, *Monogyniam*.

Acalypha ſine corolla, intra involucrum triphyllum includit florum maſculinorum filamenta plurima, connata, octo usque ſedecim, et florum femineorum ſtylos tres, ſic ut planta ſit *Monadelpha*, *Trigyna*.

Crotonis flores maſculi et feminei occurrunt quidem in eodem frutice vel arbore, ſed in diverſis ramis.

Mares habitant infra perianthium quinquedentatum ac petala quinque, cum filamentis decem, usque quindecim connatis; et feminæ intra perianthium polyphyllum cum stigmatibus tribus, sic ut prolixum hoc genus quærendum sit in *Monadelphia*, *Trigynia*.

JATROPHÆ mares et feminæ cohabitant intra communem umbellam. Singulare est, quod maris filamenta decem in medio dicantur approximata. (nec connata). Difficile ergo classificatio determinatur, sed pertinere tamen videtur ad *Monadelphiam*, atque ob stylos tres ad *Trigyniam*.

RICINUS frutex est vere monoicus, cum perianthio monophyllo, absque corolla. Filamenta in floribus masculis numerosa et in varia corpora connata. Deberet ideo referri ad classem *Polyadelphiæ*, si posset a Monadelphis vicinis cognatis separari. Femina est *Trigyna*.

STERCULIAM ad *monoeciam*, *monadelphiam* retulerunt LINNÉ et MURRAY; reduxit vero postea SCHREBER ad *Dodecandriam*, ubi stamina dicuntur inserta nectario. Cum autem hoc nectarium non aliud sit, quam basis filamentorum, in cylindrum connatorum, genus vere est *Monadelphum*, *Monogynum*.

HURÆ florescentia valde singularis est, sine corolla, filamentis tuberculis duobus innatis; certe itaque dici non potest, cui ordini propius accedit. Ob affinitatem vero cum prioribus pertinere videtur ad *Monadelphiam*, *Monogyniam*.

HIPPOMANES mas situs est in amento terminali, et femina solitaria terminalis in eadam planta, intra perianthium maris monophyllum et feminæ triphyllum, sine corolla. Filamentum unicum est antheris quatuor apici cruciatim affixis (forsan filamenta quatuor coalita), et eo casu ad *Monadelphiam*, *Monogyniam*, referenda erit.

CUPANIAM Murray relatam voluit ad Monoeciam,

Mona-

Monadelphiam, adjecta quæſtione, a SCHREBERO, an ad Polygamiam referenda? Deinde tam a LINNÉO, quam SCHREBERO rectius ad *Octandriam*, *Monogyniam* amandata fuit.

STILLINGIA, quam nonnulli volunt eandem cum Antidesma, flores habet completos. Filamenta licet duo tantum adfuerint, baſi tamen coalita ſunt, et florem reddunt *Monadelphum*.

GNETUM a SCHREBERO deſcribitur ut monoicum, in amento verticillato filamento unico, et ſtylo ſolitario in verticillo cum adjecta indicatione, ſe vidisſe etiam amentum vere maſculum.. Rumphius dioicum dixit. Præſes flores hujus in India Orientali examinavit, nec aliud invenire potuit, quam quod genus hocce proxime accedat ad *Michelias*, *Uvarias*, *Magnolias*, in *Polyandria*, *Polygynia*. Receptaculum convexum recipit enim baſi filamenta plurima, et ſupra feminam absque ulla interruptione vel interſtitio. Ex ejus ſententia locus ejus erit in *Polyandria*, *Polygynia*.

GYMNANTHES a SCHREBERO refertur quidem ad *Monoeciam*, *Monadelphiam*; ſed addit, flores femineos prodire in eodem vel diverſo frutice, adeoque et dioicam declarat. Filamenta dicuntur nuda, vel pedicelli tripartiti (filamenta forſan tria connata) et ſtigmata tria in floribus nudis.

SIPHONIÆ flores racemoſi, et femineus flos dicitur ſolitarius, terminalis. Antheræ quinque dicuntur adnatæ columnæ filamenti infra apicem, et ſtigmata tria. Pertinere debet ad *Monadelphiam*, *Trigyniam*

SAPIUM flores gerit et femineos et maſculos in eadem ſpica, intra perianthium monophyllum, ſine corolla. Filamenta duo coalita ſunt, et ſtylus unicus, ſic ut genus vere referatur ad *Monadelphiam*, *Monogyniam*.

ALEURITES in eodem corymbo flores colligit maſculos et femineos, inter calycem, corollam et nectarium. Filamenta heic ſunt numeroſa, connata in receptaculum, conicum columnare, et ſtigmata duo. Facile reducitur ad *Monadelphiam*, *Digyniam*.

BRAD-

Bradleja producit filamenta tria, fingulum ornatum anhtera cylindrica ex antheris tribus connatis, ut in Syngenefia, fed ideo tamen genus ad Syngenefiam non fuit relatum, verum ob flores mafculos et femineos in eadem planta divifos, a Schrebero ad *Monoeciam, Monadelphiam.* Schreber defcribit flores mafulos intra corollam hexapetalam cum filamentis tribus, quorum antheræ cylindricæ conftant antheris tribus connatis didymis; et florem femineum intra corollam monopetalam cum ftigmatibus fex usque octo absque ullo ftylo, fic ut planta foret Syngenesiis affinis. Forfan verus ejus locus erit in *Triandria, Hexagynia.*

Hyphydra a Schrebero et Wildenowio confiderata fuit ut planta monocia, gynandra. Feminei flores maxime nudi funt fine calyce et corolla, cum unico ftylo; fed flores mafculi inftructi funt non folum filamentis fex, fupra germen ad angulos infertis, verum etiam ftylo, ut in Polygamiis; referri non aliter poteft, quam ad *Hexandriam, Monogyniam.*

Agyneiam retulit Murray ad Monoeciam, Gynandriam, licet nullus adfuerit vel ftylus, vel ftigma; et Schreber ad Monoeciam, Monadelphiam. In ejusdem plantæ fuperiori parte proveniunt flores feminei, et mafculi infra feminas. Filamentum columnare eft antheris tribus vel quatuor, infra apicem adnatum. In germine nullus vel ftylus vel ftigma obfervatur, fed eorum loco foramen in medio perforatum, fex crenatum. Referri debet ad *Monandriam, Agyniam.* Wildenow ftylos tres memorat.

Cytinus a Wildenowio ad Monoeciam, Monadelphiam relatus fuit, a Schrebero forfan rectius ad Gynandriam, Octandriam, a nobis ad Octandriam, Monogyniam.

Epistylium habet filamentum columnare cum antheris duobus et triplici ftigmate in diverfis fexus floribus. Eft itaque *Monandra, Trigyna.*

Hecatea imperfecto valde charactere a Wildenowio fuit relata ad Monoeciam, Monadelphiam, licet ne verbum affertur, fi filamenta fint connata, vel non.

Myrianthus, qui ad Cucumerinas referri oportet, æque leviter ac *Hecatea* in Speciebus plantarum illata fuit, fic ut difficile femper erit, illi alium locum in Syftemate adjudicare, quam in vicinia cognatorum in Triandria.

Omphaleæ filamentum columnare eft, cujus apici antheræ binæ feu tres infident; referenda ideo erit ad *Monandriam, Monogyniam.* Linné illam retulit ad Monoeciam, Triandriam.